

pae XVI. entis precibus nonnullorum Emmorum S. R. E. Card., praesertim Emmi et Rmi D. Card. Augustini De Rivarola totius Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum Protectoris nec non aliorum ex Rmis Archiep. et Episc. Romae degentibus, una cum humillimis supplicationibus R. S. Fr. Eugenii e Rumilly recensiti Ord. Ministri Gen. pro extensione Officii et Missae in hon. S. Veronicae Juliani, quae dum viveret inter Sanctimoniales Ord. Capuc. accensita fuit, cujusque cultus, peractis potissimum superiori anno Solemnis Canonizationis, ubique in dies magis magisque nova suscipit incrementa, S. S., attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, referente me subscripto Secretario, pro petita extensione annuit concessitque ut a Clero Urbis et Status ecclesiastici tum saeculari tum regulari utriusque sexus, qui ad Horas canonicas tenentur, in posterum VII. Id. Jul. eaque die impedita prima post eundem non impedita juxta Rubricas sub. ritu dupl. min. recitetur Officium et Missa respective celebretur cum Oratione et Lectionibus II. Noct. am per S. R. C. adprobatis in hon. praedictae S. Veronicae Juliani Virg. et Sanctimonialis Ord. Min. Capuc. servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 4893. Die 19. Jun. 1840.

VERSICULI.

1) A quo cantandi?

Versiculi *semper* a duobus sunt decantandi tam in duplici quam in semiduplici Officio quam etiam in commemorationibus. n. 351. ad 18. die 19. Maii 1607. Vd.: *Mansionarii*. Missionarii seu Praebendarii Ecclesiae Castri Arpini induti Pluviali, dum ab Archipresbytero canuntur Vesperae solennes, tenentur canere *Versiculos*

et *Benedicamus Dom.* juxta Caeremon. n. 2631 die 6. Maii 1673.

Ad. dub.: An in distributionibus versiculorum et sequentiarum sit servandus ordo canonicorum vel praedicta possit assignari Canonicis in cantu magis instructis? S. C. resp.: In distribut. antiphonar. et reliquarum omnium, quae cantari debent a Canonicis, semper servandum esse ordinem antianitatis non attenda majori habilitate et experientia modulandi.

Die 7. Sept. 1658. n. 1928.

Quomodo cantentur? Vd.: *Organ. in Matut. etc.*

2) In Officio def.

Vd.: *Off. def. (mutatio.)*

3) Quando plures orationes ante Bened. cum SSmo cantandae sunt?

Vd.: *Orationes ad bened. cum SSmo* (decr. de die 7. Sept. 1850.)

Ad. dub. 1: An liceat in consuetis Sanctissimi Sacramenti Benedictionibus ex ordinarii dispositione addere varias preces ex. gr. in honorem Beatae Mariae Virginis, sanctorum etc.?

2: Quo ordine variae illae preces additae cantandae ante vel post *Tantum ergo*? Si plures versus, responsoria et orationes dici debent, suntne singula propriis locis reponenda vel simul omnia jungenda? Quae tunc orationis ultimae conclusio brevis an longa?

S. C. resp. ad 1: Licere collectas addere post orationem SSmi Sacramenti.

Ad 2: Collectas tantum sine versiculis et responsoriis ordinandas ut ad proximum simul jungendas cum oratione brevi.

Die 7. Septbr. 1850.

Correspond. de Rome Ed. II. 24. Febr. 1851 n. 56. p. 200 n. 18 et 19.

VERSUS.

1) Mutatio.

Ad. dub.: In officiis ss. Confessorum

pontif. et non pontif. perpetuo vel per accidens translatis ad diem non obitus debet necne mutari 3. versus hymni matutinalis?

S. C. resp.: Dentur decreta.

Die 7. Sept. 1861.

2) Unde sumendi pro plur. commemor?

Ad. dubium: An quando antiphonae et versus in resp. variantur pro commemor. alicujus simplicis facienda, prius accipiendus sit versus ex Vesp. quam ex Laudib. si diversi sunt, an vero recurrendum prius ad antiphonam et vers. Laudum quam ad Antiph. et vers. 2. vesperarum? S. C. resp.: *Ad Vesp.:* Primo accipienda est Antiphona cum versu Laudum; si vero plures sint commemor. simplicium, tunc secunda commemor. sumatur ex 2. Vesp. cum versu 2. noct., tertia vero commemor. fiet desumendo Antiphonam primam ex 3. n. cum versu ejusdem nocturni; *ad Laudes:* Prima commemoratio cum versu erit propria ex 1. Vesp.; secunda commemor. fiet cum Antiph. tertia et versu assignatis jam in 1. Vesp.; tertia autem commemor. fiet desumendo Antiphonam et versum dictos 2. loco in 1. Vesp., nempe Antiphonam 2. Vesperarum et versum 2. nocturni. n. 4044 ad titul. XXIV. dub. 4. die 5. Maii 1736.

Vd.: *Antiphona* (pro commemor.)

3) Tertius in hymno „Iste confessor.“

Vd.: *Meruit Beat.;* *Vesperae* (hymnus in festo s. Confess.)

Ad. dub.: In officiis Sanctorum Confessorum Pontificum perpetuo vel per accidens translatis ad diem non obitus debet necne mutari tertius versus hymni matutinalis?

In Rubrica Breviarii inserta hymno *Iste confessor* etc. indicatur eo casu solummodo mutandum esse tertium versus, cum festum sancti Confessoris

sive Pontificis, de quo recitatur officium, non incidit in obitus diem. Hujus Rubricae Sacra Rituum Congregatio in duobus decretis jam declaravit regulam hujusmodi apprime esse servandam. Ita in una sub die 13. Junii 1682 Ordinis Minorum S. Francisci statuit in casu translationis a die obitus ad diem immediate sequentem tam in reliquo officio retineri versus *Meruit beatas* etc. quia officium ipsa obitus die inceptum ita adnectitur sequenti diei ut veluti ejusdem diei obitus prosecutio habenda sit; in altero vero sub die 11. Junii 1701 in una tertii Ordinis S. Francisci edixit: mutandum esse tertium versus si assignata sit dies fixa, quae non est dies obitus, licet officium fiat de die obitus. Quapropter cum in allato dubio illud ipsum requiritur, quod in supradictis decretis statutum fuit, huic respondendum: *Serventur decreta.*

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. J. P. 1863. p. 2243.)

VESPERAE.

1) SS. Angelorum.

In catholici regis regnis dies 24. Oct. assignatus est pro Officio s. arch. Raphaelis sub ritu dupl. min. et die 25. Oct. assignatum et Officium SS. Gavini, Prothi et Januarii ejusdem ritus. Quid faciendum in vesperis? S. C. resp.: *Vesperae* celebrande sunt de praec. festo s. Raph. cum comm. de seq. juxta rubr. XI. de concurrentia n. 2. prope finem. n. 3172 ad 4 die 25. Sept. 1688. *Vesperae dimid.* (decr. n. 2988; 3005.)

2) Antiphonae.

Vd.: *Martyr.* (ant.); *Antiphonae.*

3) SS. Apostolorum.

Occurrentes cum Dedicatione Ecclesiae, Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (vesp. etc. decr. n. 4126 ad 1; n. 4157 etc.)

4) Celebrans Canonicus et Dignit.

(Obligatio.)

Cusentina.

Cum alias dignitates et canonici ecclesiae Cusentinae sentientes se gravatos ab eorum Archiepiscopo ad celebrandum secundas vespervas in quibusdam solemnitatibus et Dominicis per annum, quas Archiepiscopus juxta formam libri Caeremonialis per eosdem dignitates et canonicos, qui primas vespervas cantaverant celebrari jusserat, licet ex antiqua dictae ecclesiae consuetudine dictae secundae vespervae non per eosdem dignitates et canonicos, qui primos cantaverant et per sui cantorem vel hebdomadariam celebrari consueverint, petentes non gravari ultra solitam et immemorabilem dictae ecclesiae consuetudinem, quam probare intendebant. Et eadem sacra Rituum Congregatio negotium remisit ad Illmum et Rmum D. Cardinalem Perettem coram quo pro parte canonicorum processum de mandato ejusdem Sacrae Congregationis ab Episcopo Marturano confectum praesentaverunt, ex quo praetendebant satis fuisse probatam immemorabilem consuetudinem non consuevisse secundas vespervas cantari ab eisdem dignitatibus et canonicis, qui primas cantaverant, et cum idem Illmus D. Cardinalis Perettes in congregatione facta sub die 27. Julii 1609 retulisset constare licet non plene de praetensa consuetudine ex dicto processu et propterea quia liber Caeremonialis non tollit consuetudinem immemorabilem, Congregatio judicavit tunc non esse dictos canonicos ultra eorum consuetudinem cogendos ad secundas vespervas celebrandum. Quia tamen in praemissis non fuerat Archiepiscopus auditus, ad ipsius instantiam posse Congregatio mandavit supersederi in relatione dicti decreti ad favorem canonicorum,

donec maturius auditis rationibus et juribus Episcopi quid statuendum esset decerneretur. Et cum ad instantiam ejusdem Archiepiscopi ab eadem Congregatione commissum fuerit examen eidem Episcopo Marturano et causa ob absentiam ab Urbe Illmni D. Cardinalis Penelli commissa fuerit Illmo D. Cardinali Gapporio, coram quo praesentaret Archiepiscopus processum praedictum formatum ad sui favorem una cum alio processu jam ab eodem Episcopo Marturano ad favorem canonicorum confecto, tandem auditis partibus pluries eorumque procuratoribus et advocatis in voce et in scriptis tam in facto quam in jure, idem Illmus et Rmus D. Cardinalis Gapporius merita causae in plena congregatione retulit. Et eadem Sacra Rituum Congregatio audita dicti Illmi et Rmni D. Cardinalis Gapporii relatione censuit et declaravit praetensam et allegatam consuetudinem a canonicis non fuisse probatam, et ideo teneri juxta decretum concilii provincialis et ipsius Archiepiscopi atque juxta formam libri Caeremonialis ad celebrandum et canendum etiam secundas vespervas in illis solemnitatibus et dominicis per annum prout Archiepiscopus ordinavit. Et ita censuit et declaravit ac in civitate et ecclesia Cusentina servari mandavit quibuscumque non obstantibus.

Die 20. Nov. 1610.

(Anal. J. P. Ser. VII. p. 111. n. 370. Ed. Romae 1864.)

5) Commemoratio.

Vd.: *Commemor. in vesp.*

6) Defunctorum.

Vd.: *Off. defunct.*

7) Dignitas celebrans absente Episcopo.

Cf.: *Dignitas; Usus Pontifical.; Solemnit. pontif. Vesp. (celebrans.)*

Absente vel impedito Episcopo te-

netur prima Dignitas celebrare primas et secundas Vespervas. n. 1044 die 21. Junii 1636; n. 2513 die 13. Sept. 1670.

Ad primam Dignitatem pertinere Vespervas cantare in illis diebus et solemnitatibus, in quibus Episcopus, si praesens esset, id faceret. n. 363 die 17. Nov. 1607.

Officia divina etc. et alias similes functiones, quas faceret Archiepiscopus, si praesens esset, eo absente vel impedito ad Dignitates et Canonicos Cathedral. *successive et non alternatim pertinere.* n. 2520 die 29. Nov. 1670. Omnes functiones et jus praecipue cantandi missas et vespervas in solemnioribus impedito Episcopo spectare et Archidiaconum uti primam Dignitatem Andrien. n. 2527 die 28. Febr. 1671.

Functiones majores ad Episcopum spectantes ipso absente vel impedito spectare ad primam Dignitatem Cathedral. et non ad alias Dignitates et Canonicos in hebdomada eis assignata. n. 2997 die 26. Sept. 1682.

Vespervas celebrare absente vel impedito Archiepiscopo ad primam Dignitatem et ea impedita ad secundam et successive ad tertiam vel quartam et omnibus Dignitatibus absentibus et impeditis ad primum vel secundum Canonicum pertinere. n. 336 die 19. Jan. 1608; n. 739 die 27. Mart. 1628.

Functiones solennes pro Episcopo absente vel impedito non ad alium quam ad digniorem de Capitulo spectare et pertinere ordine successivo. n. 1185 die 19. Novbr. 1639; n. 1226 die 28. Apr. 1640; n. 1276 die 6. Oct. 1640.

Non posse Archipresbyterum uti primam Dignitatem functiones solennes alteri delegare, sed illas spectare ad digniorem ordine successivo. n. 1253 die 21. Aug. 1640.

Absente vel impedito Episcopo Vespervas primas solennes non spectare ad Hebdomadariam sed ad digniorem, qui in crastinum est solemniter celebraturus. n. 1262 die 15. Sept. 1640.

Non licet Ordinario solennes functiones, quae spectant ad digniorem de Capitulo, per aliquem ex Canonicis ipsi benevisum peragi facere. n. 1356 die 11. Nov. 1641.

Functiones solennes absente vel impedito Episcopo ad digniorem de Capitulo, quocumque nomine nuncupetur, pertinere, dummodo sit in Sacerdotio constitutus. n. 1414 die 13. Sept. 1642.

Absente Episcopo pertinere ad primam Dignitatem praesentem Vespervas etc. cantare, dummodo sit in sacris Ordinibus constituta. n. 1448 ad 1 die 16. Maii 1643.

Vespervas pontificales cantare absente vel impedito Episcopo ad primam Dignitatem spectare. n. 1480 die 22. Nov. 1643.

Functiones solennes, Missas et Vespervas cantare, impedita prima Dignitate (excommunicata) obeundas esse per Dignitatem sequentem non autem delegandas a Vicario. n. 1546. ad 1 et 2. die 7. Oct. 1645.

Vicario uti Vicario nullum competere jus supplendi vices Episcopi in cantu missarum solemnium aliorumque Divinorum. n. 1979 die 29. Mart. 1659.

8) Dignitatis Assistentia.

Archipresbyter (prima dignitas) celebrans vespervas sol. in Metrop. Nazarena absente vel impedito Archiepiscopo uti potest assistentia sex presbyterorum pluvialibus paratorum. (Caer. Ep. l. 1. c. 3.) n. 3507 ad 1 die 21. Febr. 1699; n. 3579 ad 1 die 26. Apr. 1701.

9) Dignitatum et Canonicorum.

I. Ministri.

Canonico *Vesperas* cum pluviali celebrante et Officium faciente *Presbyteros* non tamen Canonicos cum pluvialibus assistere debere juxta Caeremoniale. (Lib. II. c. III.) n. 901. ad 2 die 8. Mart. 1631.

Vd.: *Diac. et Subd. Canonicorum; Dignit. celebr.*

Convenire, ut Canonicus, qui Missam celebrarit, faciat etiam Officium *Vesperarum* in dominicis et ordinationem Episcopi circa hoc omnino servandam esse non obstantem quacunque contraria consuetudine. n. 189 die 25. Jan. 1603.

Decreta emanata (de servitio Canonicorum pro Diacono et Subdiacono) non habere locum in *Vesperis* et *Matutinis*, quia in ipsis non adhibetur neque Diaconus neque Subdiaconus. n. 907 ad 2, die 22. Mart. 1631.

In *Vesperis* Dignitatum et Canonicorum non Canonicos sed alios inferiores cum pluvialibus inservire debere. n. 955 die 30. Apr. 1632; n. 2124 die 23. Julii 1661; n. 2890 ad 1 die 17. Junii 1679.

Canonicis Officium facientibus ad *Vesperas* non Canonicos cum pluvialibus assistere debere sed alios Sacerdotes inferiores de gremio capituli. n. 1113. die 22. Jan. 1639.

Non tenere Canonicos ad assistentiam *Vesperarum* cum Pluvialibus. n. 2436 ad 3 die 20. Julii 1669.

Canonicos non teneri ad assistentiam *Vesperarum* cum Pluvialibus, ad id compelli posse duos Capellanos de praesenti in Ecclesia existentes. n. 2493 die 31. Aug. 1669.

Ad dubium: An Decano cathedr. Tropien. cantanti *Vesperas* solemnes debeatur assistentia sex Presbyterorum

antiquorum et Pluviale distinctum et pretiosius eo, quo utuntur praedicti Canonici et Dignitates, privative quoad dictos Canonicos et Dignitates solemniter pariter dictas *Vesperas* cantantes, in casu etc.? Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Negative.“

Et ita decrevit et servari mandavit. n. 3884 ad 3. Die 21. Martii 1716.

In diebus solemniorib. Celebrans in *vesperis* tantum potest uti quatuor Capellanis pluvialibus indutis. n. 3934 ad 2. die 19. Aug. 1719.

Cf.: *Officium*. (Recitat. tempus, decreti 7. Sept. 1861.)

Brundusina.

Sacra Rituum Congregatio juxta alterius resoluta dignitatibus petentibus responderi quid servandum, quando *vesperae* celebrantur per aliquem ex dignitatibus seu canonicum, circa assistentiam, prout etiam quando solemniter praedictae dignitates seu canonici missas celebrant, respondit in celebratione missae sollemniter inservire debere pro diacono et subdiacono canonicos, et non alios inferiores; officium vero facientibus ad *vesperas* non canonicos cum pluvialibus assistere debere sed alios sacerdotes inferiores de gremio capituli. Die 22. Jan. 1639.

(Anal. J. P. 1863 p. 270. n. 1240.)

II. A quibus celebrandae in solemnit. in Cathedralibus?

Cusentina.

Cum alias dignitates et canonici ecclesiae Cusentinae sentientes se gravatos ab eorum archiepiscopo ad celebrandum secundas *vesperas* in quibusdam solemnitatibus et Dominicis per annum, quas archiepiscopus juxta formam libri Caeremonialis per eosdem dignitates et canonicos, qui primas cantaverant, celebrari jusserat, licet ex

antiqua dictae ecclesiae consuetudine dictae secundae *vesperae* non per eosdem dignitates et canonicos, qui primas cantaverant, sed per succentorem vel hebdomadarium celebrari consueverint, petentes non gravari ultra solitam et immemorabilem dictae ecclesiae consuetudinem, quam probare intendebant. Et eadem Sacra Rituum Congregatio negotium remisit ad Illmum et Rmum D. Cardinalem Perettum, coram quo pro parte canonicorum processum de mandato ejusdem Sacrae Congregationis ab Episcopo Marturano confectum praesentaverunt, ex quo praetendebant satis fuisse probatam immemorabilem consuetudinem non consuevisse secundas *vesperas* cantari ab eisdem dignitatibus et canonicis, qui primas cantaverant, et idem Illmus D. Cardinalis Perettus in congregatione facta sub die 27. Julii 1609 retulit constare licet non plene de praetensa consuetudine ex dicto processu et propterea, quia liber Caeremonialis non tollit consuetudinem immemorabilem, Congregatio judicavit tunc, non esse dictos canonicos ultra eorum consuetudinem cogendos ad secundas *vesperas* celebrandum. Quia tamen in praemissis non fuerat archiepiscopus auditus, ad ipsius instantiam postea Congregatio mandavit supersederi in relatione dicti decreti ad favorem canonicorum, donec maturius auditis rationibus et juribus archiepiscopi, quid statuendum esset decerneretur. Et cum ad instantiam ejusdem archiepiscopi ab eadem Congregatione commissum fuerit examen eidem episcopo Marturano et causa ob absentiam ab Urbe Illmi D. Cardinalis Peretti comissa fuerit Illmo D. Cardinali Capponio, coram quo praesentavit archiepiscopus processum praedictum formatum ad sui favorem unacum alio processu jam ab eodem Episcopo Marturano ad favorem cano-

nicorum confecto, tandem auditis partibus pluries eorumque procuratoribus et advocatis in voce et in scriptis tam in facto quam in jure idem Illmus et Rmus D. Cardinalis Capponius merita causae in plena Congregatione retulit.

Et eadem Sacra Rituum Congregatio, audita dicti Illmi et Rmi D. Cardinalis Capponii relatione censuit et declaravit praetensam et allegatam consuetudinem a canonicis non fuisse probatam et ideo teneri juxta decretum concilii provincialis et ipsius archiepiscopi atque juxta formam libri Caeremonialis ad celebrandum et cantandum etiam secundas *vesperas* in illis solemnitatibus et dominicis per annum prout archiepiscopus ordinavit. Et ita censuit et declaravit ac in civitate et ecclesia Cusentina servari mandavit quibuscumque non obstantibus. Die 20. Novembris 1610.

(Anal. J. P. 1863 p. 111. n. 370.)

10) Dimidiatae.

Vd.: *Dies octavae; Dies octava; Dedicatio Eccles. (Vesp.) Vesp. de B. V. M.; SS. Trinit. (Vesp.); S. Angel. custos; Octava corp. Chr.; Vesperae. (regul.); Dedicat. Eccles. Cath. (Vesp.) Dedicatio Basil. Later. (Vesp. decr 4594.); Vesp. de SS. Angelis; Concurrentia; SS. Sacram. (Off. ser. decr. n. 4191.) Nativit. Dom. (vigil.)*

Si concedatur recitare die 2. Oct. de ss. Angelis custodibus et die 3. de translatione s. Clarae, *vesperae* a capitulo de sequenti cum commemorat. praecedentis recitandae sunt. n. 2988 ad 2 die 13. Junii 1682.

Secundae *Vesperae* de die octava non privileg. concurrentes cum I. vesp. festi dupl. debent dimidiari et fieri a capitulo de festo sequenti. S. R. C. 12. Julii 1664.

Quando 2. vesp. de ss. Angelis custod. (Off. dupl. min.) concurrunt cum 1. vesp. alicujus dupl. min. per annum,

in 2. Vesp. ss. Angel. a cap. facienda de sequ. dupl. min. n. 3005 ad 5 die 28. Dec. 1682.

In occurrentia festorum s. Antonii Patavini c. et s. Blasii Ep. c., qui in civ. Panormitana ex indulto sub dupl. maj. celebrantur, vespervas esse dimidiandas et faciendum esse a cap. de seq. cum com. de praeced. n. 3057 ad 1. die 17. Junii 1684.

Ad dubium: an occurrente sancto Patrono antiquiori civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, integrae vespervae debeantur antiquiori cum sola com. recentioris?

S. C. resp. Nullam habendam esse rationem de potioritate Patronatus. n. 3057 ad 2 die 17. Junii 1684.

Contingit quandoque in civitate et Dioecesi Tridentina, quod 2. vesp. s. Simonis Innocentis et Martyr. Trident. occurrant cum 1. vesp. s. Adalberti Ep. et Mart. Tridentini et de utroque fit Officium per annum sub ritu dupl. maj., quid agendum in vespervis? S. C. resp.: Ubi *solemni pompa* celebratur festum s. Simonis, vespervae de eo debent esse integrae, alibi vero debent dimidiari. n. 3122 ad 1. die 20. Julii 1686.

In occurrentia festorum fieri debet de digniori. Accidit in Hispania quod in eadem 9. Aug. concurrunt 2. vesp. ss. mm. Justi et Pastoris sub ritu dupl. II. cl. et primae vesp. s. Laurentii m. ejusd. cl. Cumque inter martyres non appareat, quo pacto major vel minor dignitas possit considerari, licet major sit solemnitas s. Laurentii quam ss. Justi etc., pro quibus non fit vigilia neque octava, festum est de praecepto, prout observetur pro Laurentio. Quid agendum in Vespervis? S. C. resp.: In casu habendam esse nullam praeferebantiam sed Vespervas fore dimidiandas ad Capitulum juxta rubr. XI. n. 2. in principio. n. 3173. die 25. Sept. 1688.

In I. vesp. communibus diei octavae et dominicae privil. Vespervae debent recitari cum psal. Sabbati et a capit. de dominica privileg. addendo in fine commemorationem diei octavae. S. R. C. 9. Novb. 1622.

Festa fori cum festis chori tantum sed ejusdem ritus concurrentia utraque vespervas integras habere non debent. n. 3853. ad 2 die 8. Apr. 1713.

Ad dubium: Cathedralis Ecclesia s. Jacobi celebrat Festum illorum Sanctorum, quorum Reliquias habet, cum Vespervis solemnibus, Missa, Processione; a saeculo XIII. ad annum 1761 in omnibus Ecclesiis Archiepiscopatus Officium celebrabatur cum Vespervis integris in concurrentia alterius Festi ejusdem ritus, et Credo dicebatur in Missa. Praedicto anno (qua auctoritate ignoratur) reformata fuit hujus Officii recitatio, integris manentibus Vespervis pro Cathedrali tantum et Credo in Missa, pro aliis autem Ecclesiis dimidiatis Vespervis a Capitulo. Postremo absente archiepiscopo jussit Vicarius generalis, quod Vespervae in concurrentia ejusdem ritus in toto Archiepiscopatu fierent a Capitulo. Quaeritur: An attenda consuetudine a saeculo XIII. sequenda sit prima methodus an potius secunda vel tertia? Et S. eadem C. rescribendum censuit, ut infra, videlicet: „Scribatur Rmo Archiepiscopo juxta mentem.“

Et ita declaravit et servari mandavit die 8. Aprilis 1808. n. 4507. ad 3.

Cum Rubricarum dispositio et tabella concurrentiae semper et ubique servanda omnino sit, quaeritur:

„An, concurrente die octava Dedicationis Ecclesiae, sanctorum Angelorum, s. Joannis Baptistae, s. Joseph et ss. Apostolorum cum alio duplici min. ejusd. ritus sed inferioris dignitatis, Vespervae sint dimidiandae vel integrae persolvendae de die octava

Dedicationis Ecclesiae, de sanctis Angelis, de s. Joanne Baptista, de s. Joseph et ss. Apostolis? S. C. resp.

„Vespervas esse dimidiandas“ n. 4594. ad 5. die 23. Apr. 1823.

Eadem similiter ex causa sciscitatur:

„An Festis secundariis sanctorum Angelorum, s. Joannis Baptistae, s. Joseph et ss. Apostolorum concurrentibus cum Sanctis ejusdem ritus sed inferioris dignitatis Vespervae sint dimidiandae vel integrae persolvendae de sanctis Angelis, de s. Joanne Baptista de s. Joseph et de sanctis Apostolis?“ S. C. resp:

Si festa sint rit. dup. maj. servetur Tabella concurrentiae ad num. 6, si sint rit. dup. min. servetur eadem Tabella num. 5. *Ibidem ad 6.*

11) Dominicae I. Adv. et immac. Concept. B. V. M.

Ad dubium: Utrum concurrentibus secundis vespervis officii votivi immaculatae Conceptionis cum vespervis primae dominicae adventus fieri debeat usque ad capitulum de officio votivo et a capitulo de dominica cum commemoratione immaculatae Conceptionis, vel, cum de hujusmodi officio votivo in adventu non fiat, vespervae debeant esse integrae de sabbato et absque commemoratione?

Resp. Ex generalis hujus Sacrae Congregationis decreto sub die 24. Apr. 1706 officia votiva, quae ab Apostolica Sede concessa sunt celebranda semel vel pluries singulis hebdomadis vel mensibus per annum, non possunt omnino celebrari nec hujusmodi indulta locum habent in seriis adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum, sive cum jejuniis sive absque jejuniis, nec in feria secunda rogationum nec in illa feria, in qua secundum rubricas est reponendum officium dominicae. Cum itaque officium

votivum immaculatae Conceptionis concurrere possit cum vespervis primae dominicae adventus, quaeritur ut in dubio. Recitatio quidem officii votivi usque ad capitulum dominicae primae adventus nullam praesferet difficultatem, cum proprie adventus a dominicae capitulo in primis vespervis incipiat. Sed cum a recitatione psalmorum officii votivi in vespervis sejungi non possit ejusdem commemoratione, id profecto sequi videretur, ut ea commemoratio, quae est pars officii votivi, fieret postquam incoeptum est officium dominicae, ac proinde incideret quodammodo in tempus a supradicto decreto prohibitum. Ex hac simplici expositione videretur exurgere responsum affirmativum ad secundam dubii partem. Opportune autem occurrit decretum 23. Junii 1736 in Einsidlen. ad 5, ubi agitur de concurrentia diei infra octavam s. Benedicti (quae octava a Benedictinis ex privilegio celebratur intra quadragesimam) cum dominica Passionis. Hoc enim in casu etsi praecipitur nihil de octava faciendum esse in dominica Passionis utpote privilegiata, resolvitur tamen, ejusdem octavae commemorationem admittendam esse in primis vespervis praefatae dominicae „quando octava (sunt verba dec. eti) celebratur post dominicam passionis“ hoc est quando in sabbato ante praedictam dominicam non fit de septima sed de alia die infra octavam. Si enim ageretur de die septima, cum haec careat secundis vespervis (supervenientibus primis diei octavae, de qua nihil faciendum est in dominica saepedicta) ejusque officium terminetur ad nonam, locus non es. et commemorationi octavae, non quia a vespervis dominicae Passionis respuitur, sed quia (prout modo dictum est) dies septima infra octavas caret secundis vespervis. Et hinc est quod in hoc eodem decreto ad praecedens dubium 4, in

quo agitur de occurrence diei octavae s. Scholasticae (cujus etiam octava a Benedictinis ex privilegio in quadragesima celebratur) in feria IV. Cinerum, statuitur nihil de octava faciendum esse in vesperis diei praecedentis, non equidem quia a praedicta feria IV. Cinerum rejiciatur (haec enim neque habet primas vespas cum ejus officium incipiat a matutino) sed ob supra allatam rationem nimirum quia cum officium diei septimae infra octavam desinat ad nonam (septima enim dies secundis caret vesperis) et officium diei octavae crastina die a feria IV. Cinerum praedicta impediatur, commemorationi locus esse non potest. Quare absque ulla haesitatione proposito dubio respondendum videtur: — affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 339.)

12) Ab Episcopo non celebr. cum cappa.

Episcopus non debet cum cappa Vesperas celebrare. S. C. R. in *Alexandr.* 23. Mart. 1688 ad 8.

Vd.: *Solemnit. pontific.*; *Vesp. pontif. Diaconi assist.*; *Assistens*; *Diaconus*; *Minister de libro etc.*; *Ministri in Pontif.*; *Canonici parati assist. etc.* (decr. n. 3851.)

13) Festi Domini.

Vd.: *Vesperae B. V. M.* (decr. n. 4684.)

14) Hymnus in festo s. Confess.

Vd.: *Meruit Beatas etc.*; *Versus tertius.*

Si festum s. Confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in Hymno: *Iste Confessor etc.* nulla fit mutatio

versiculi sed dicitur: *Meruit beatas, dummodo primae Vesperae non sint impeditae.* Sac. Rit. Congreg. 13. Jan. 1683.

Translato autem festo s. Confessoris ultra sequentem diem, in Hymno: *Iste Confessor* facienda est mutatio versiculi, dicendo: *Meruit supremos.* Sacra Rit. Congregat. 14. Jun. 1692.

15) Integrae.

Vd.: *Vesp. dimid.* (decr. n. 3057; 3122; 4507); *Occurrentia festor.*

Festa per annum duplicia, quae sol. celebrantur a choro et in populo sunt de praecepto, in occurrence cum aequalibus quoad ritum et dignitatem possunt habere integras vespas ad sensum rubr. XI. Brev. rom. n. 2. n. 4160 ad 2. die 22. Aug. 1744.

Ad dubium: In occurrence Officii ritus dupl. maj. cum die oct. alicujus Sancti quomodo ordinandae sunt Vesperae? S. R. C. rescribendum censuit:

„Totum de dupl. maj. cum com. diei oct.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5116. ad 2.

Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: Quomodo celebrari debeat Officium in 2. Vesp. in Ecclesia s. Rochi Titul., an de Assumpt. B. V. M. an vero de s. Rocho? S. C. resp.: Totum de Assumpt. B. V. M. cum com. s. Rochi. n. 2991. die 22. Aug. 1682.

Ad dubium: An in Ecclesiis, in quibus Festum SS. Trinitatis est 1. cl., concurrentibus vesperis diei octavae ejusdem cum dupl. seq. maj. tantum, vespas debeant fieri integrae de octava cum com. sequentis, ut rubrica gener. praescribit in Octavis Epiphaniae, Pasch., Ascens. et Corp. Chr? S. C. resp.: Affirmative. n. 3706 die

13. Sept. 1704. Vd.: SS. *Trinitas* (vesperae.)

Quando secundae vesp. solemnitate s. Augustini Patris et Patroni principalis totius Ord. Excalceat. cum festo B. V. M. de Consolatione occurrant, quod celebratur in dominica infra octavam ejusdem s. Patris, cuinam ex praedictis solemnitatibus, quam ambae in toto Ord. sunt sub ritu dupl. 1. cl., essent integrae vespas concedendae? S. C. vesp.: Integrae vesp. recitandas esse de festo B. V. M. cum com. s. Augustini. n. 4357 ad 2. die 17. Aug. 1771.

Aliquando transfertur Patrocinium B. V. M. ad 17. vel 19. Dec., quo casu concurrat in 1. vel 2. vesp. cum Officio Exspectat. B. V. M. S. C. resp.: Hoc in casu totum de praecedenti in utroque casu, nihil de sequenti. n. 4393 ad 12 die 27. Mart. 1779.

Ad dubium: Dum duo Officia Passionis concurrunt, quaeritur: utrum Vesperae debeant fieri de primo vel de secundo? S. R. C. resp.: Nihil de sequenti, dummodo non fuerit posterioris ritus, tunc enim nihil de primo. n. 4878 ad 7 die 11. Aprilis 1840.

Vd.: p. 748 decr. n. 5223.

Ad dubium: In choro Cath. Ecclesiae Barchinonen. Officium Translationis s. Eulaliae sub ritu dupl. cantatur cum magno apparatu et solemnitate: in concurrentia cum aliis dupl. maj. Vesperae dicti Officii ratione magnae solemnitate possuntne celebrari integrae?

S. eadem C. . . rescribendum censuit: „Posse, si Officium sequens non fuerit majoris dignitatis juxta num. VI. tabellae concurrentiae.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 11. April. 1840. N. 4878 ad 1.

16) Beatae V. Mariae.

Ad dubium: An dies octavae Conceptionis B. V. M. concurrens cum quo-

cunque dupl. min. habeat integras primas et secundas vespas et an hoc quoque observandum est in omnibus octavis diebus festivitatum B. V. M. tam particulariter alicujus Religionis quam generaliter totius Ecclesiae? S. C. resp.: affirmative. n. 3244 ad 1 die 11. Aug. 1691.

Dies octavarum Assumptionis, Nativit. aliorumque festorum B. V. M. octavam habentium concurrentes cum officio dupl. minori habere debent integras vesp. S. R. C. 1. Mart. 1681.

Vd. *Dedicatio eccles.* (vesp. decr. n. 4900); *Concurr. festor.*

Ad dubium: Decr. diei 11. Aug. 1691 quod praecipit in concurrentia Octavarum Beatae Mariae Virginis Vesperas non dividi sed integras esse de Deipara, extendi etiam ad Octavas Festorum Domini?

Sacra eadem Congregatio resp.: Affirmative. Et ita decrevit ac servari mandavit.

Die 7. Aprilis 1832. n. 4684.

Secundae vespas Annuntiationis occurrentes cum primis diei festi s. Marci recitantur integrae de Annuntiatione ob praestantiam dignitatis, non propter qualitatem praecepti. S. R. C. n. 4119 ad 3 die 2. Sept. 1741.

17) Octavae festi Domini.

Ad dubium: An Octava cujuscumque Festi Domini Nostri Jesu Christi occurrens cum duplici majori vel minori debeat habere Vesperas integras, uti fit in Octava Ascensionis, Corporis Christi et uti declaratum fuit a sacrorum Rituum Congregatione die 13. Septembris 1704 pro Octava sanctissimae Trinitatis? S. C. resp.: Serventur Decreta. n. 4669 ad 46 die 12. Novbr. 1831.